

tendebam lacrumans et blanda voce vocabam.
vix aegro cum corde meo me somnus reliquit.”’

haec etiamsi ficta sunt a poeta, non absunt tamen a ²¹
consuetudine somniorum. sit sane etiam illud com- ⁴²
5 menticium quo Priamus est conturbatus, quia

‘... mater gravida parere <ex> se ardentem facem
visa est in somnis Hecuba; quo facto pater
rex ipse Priamus somnio mentis metu
perculsus curis sumptus suspirantibus
10 exsacrificabat hostiis balantibus.
tum coniecturam postulat pacem petens,
ut se edoceret obsecrans Apollinem
quo sese vertant tantae sortes somnium.
ibi ex oraclo voce divina edidit
15 Apollo puerum primus Priamo qui foret
postilla natus temperaret tollere:
eum esse exitium Troiae, pestem Pergamo.’

sint haec ut dixi somnia fabularum, hisque adiunga- 43
tur etiam Aeneae somnium, quod in nostri Fabi Pic-
20 toris Graecis annalibus eius modi est ut omnia quae
ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt ea fuerint
quae ei secundum quietem visa sunt.

Sed prop[r]iora videamus. cuiusnam modi est Su- 22
perbi Tarquini somnium, de quo in Bruto Acci[us] lo-
25 quitur ipse?

